

Dē illō, quī in foveam serpentum cecidit

Erat quīdam imperātor, in cuius imperiō pauper mānsit, quī singulīs diēbus ad quandam forestam perrēxit, ut ligna colligeret et prō sē et uxōre ac prō liberīs vēnderet, ut eōs sustentāret.

Accidit quōdam diē, quod ad forestam¹ cum azīnō² perrēxit. Ā cāsū incīdit in dēnsitātem nemoris et subitō cecidit in quandam profundam foveam, dē quā nullō modō exīre potuit.

In illā foveā erat quīdam dracō horribilis, quī tōtam foveam īferius cum caudā circumvolvī. Super eum erant serpentēs īfīnītī, et singulīs diēbus serpentēs semel in profundum foveae dēscendērunt ad quandam lapidem, quī erat in mediō puteī; quīlibet post alium lapidem lambēbat, et sīc ascendērunt per ōrdinem. Deinde dracō lapidem lambēbat et post haec per tōtum diem quiēscēbat.

Pauper cum hoc vīdisset, intrā sē cōgitābat: "Multīs diēbus hīc sine cibō et pōtū steti; filius mortis sum ego³. Pergam ad illum lapidem et lambam, sicut serpentēs fēcērunt." Perrēxit ad lapidem et cēpit lambere et invēnit omnem sapōrem, quem dēsīderābat. Ita est refocillātus, ac sī omnem cibum gustāset.

Īnfra paucōs diēs tonitruum magnum audīvit, tam horribilem, quod omnēs serpentēs exiērunt, ūnus post alium. Cum vērō omnēs exīssent, dracō extrā foveam volābat. Pauper haec vidēns tenuit caudam dracōnis. Dracō vērō eum dē foveā levāvit et ad magnam distantiam dē foveā eum prōiēcī.

Ille vērō per aliquot diēs ibīdem stetit, dōnec hominēs veniēbant. Ille audiēns strepitum euntium clāmāvit, ad cuius clāmōrem hominēs vērō eum extrā nemus dūxērunt.

¹ silvam

² asīnō

³ "moritūrus sum"